

non alienum forte fuerit, aliquot species attingere earum rerum, per quas ad præsentiam secuturi temporis, curiositas humana suspirat, quamuis non ignoremus, providentiam virorum, diuinationem anicularum esse propriam. Verum quia vtriusq; studium de futuro est, eatenus similes videntur, vt illa rectis tramitibus procedente, hæc perplexis erret anfractibus. Itaque quo illa peruenit, hæc nititur frustra, quidem nisi dirigentem per tenebras fortuna mortalem ignorantiam, idque perrarò sicut sapientissimis viris, visu & experimento compertum est. Quamobrem iuxta positæ sunt, vt vno velut obtuitu, videas quam fugias, quamue sequaris. Id enim est, eius de qua iam diu loquimur prudentiæ: placet autem ex oraculis exordiri.

DE ORACVLIS.

Cap. II.

ORaculum est vt à Seneca definitur, voluntas diuina, hominis ore enunciata: quod si sic intelligitur, iam piget incoæpti, præstat titulum abradere, nam quis ego sum, qui sacros Dei nuncios Prophetas veteres attingam stilo? non ea vis, animo, neque id meæ facultatis est opus verum quia & si migraturo similis, sæpè
im-